Poemata Miscellania,

GULIELMI FORBESII SCOTI.

1 CARMEN EVCHARISTICUM.

2 HECATOMOMPHE.

3 SCORPIACUM.

4 APOPHORETA PAPÆ.

LONDINI,
Imprimebat *S.* B. pro *W. C.* 1642.

CARMEN

EVCHARISTICUM.

HECATOMOMPHE.

SCORPIACUM.

APOPHORETA PAPÆ.

LONDONI,
Imprimebat, *S. B.* pro *W. C.* 1642.

Ad Illuſtriſſimum Heroem & Dominum D. Iohannem Scotum, equitem auratum Regis Britanniarum Cancellariæ Directorem, Muſarum Tutanum, Carmen Euchariſticum.

ECce renaſcentes *Scoti* ſolertia Muſas
Reſtituit, totoq; inſpirat Delphica Phœbo
Atria, pieridum thalamos, ſecretaque Divum,
Templa aperit, patriaſq; iubet revireſcere *Lau-*
Claraq; pegaſeis confert ſuffragia curis *(rus*
Grampiacæq; tument generoſa Daphnide rupes,
Et vatum redivivus honos, & vita Camenis
Redditur, & tanto iam vindice, ſede relicta,
Cyrraloquax vitreis ſe Forthæ miſcuit undis.
Scoticaque Aonios devolvunt flumina rivos
Et Glottam ſacer horror agit Pataraæaque Templa,
Tranſtulit in noſtras heros Tarvatius oras.
Inque Calidoniis Sylva meliore pruinis
Pierius frondeſcit ager, ſine numine nondum,
Numina tanta mori prohibet, putriq; ſepulta

Scripta ſitu & monumenta gravi vitiata veterno
Subtrahit ingratis fatis melioribus umbris.
Ac veluti faculæ Phœbea luce minores
Et vaga fraterno radiaſcit lumine Phœbe;
Uatibus omne decus patriis vitamq; diemq;
Indulget Phœbumq; animat, noctemque profundam
Diſcutit Aonio Cœlo, roſeaque coruſcans,
Luce Calidonium nebulis abſolvit Olympum.
O vatum ſublime decus cui pindus & Aſcra
Parnaſſuſque ſuo declivis vertice, nutat
Cui ſua plectra ſacrat Phœbus, reliquiſq; Camenis,
Præripis omne decus ſolus, ceu ſidera pallent.
Lucifero renovante diem, ſeu flumina pulcra
Vel Dona gemmiferas demittens molliter undas
Vel Dea clivoſum vomens violentius amnem
Uaneſcunt pelago, & ſecum ſua nomina mergunt
Nec totum te Diva Themis, totumve Camæna,
Vendicat, aſt variis diſtinguis tempora curis,
Ac veluti ad Cytharam Phœbus modo promptus ad ar-
Tu Themidem ſub rege regis, tu maxima Regni, (cum
Pondera fers humeris gravibuſque capacia curis
Pectora ſollicitas, populoq; oracula pandis.
Nec prius Æois Phœbus ſeſe exerit undis,
Serius aut roſeos vitreo lavat æquore currus
Quam procerum populiq; phalanx, quam turba clientum
Ante fores avidis laſſat tua Limina votis.

Nec

Neeminus Aonio juvat indulgere furori,
Et Clariam tentare chelin placidoſq; receſſus,
Et Dryadum viſis thalamos & florida Tempe,
Inclita qua veteres ſpectat Tervatia Laurus
Dividis & luces & noctis dividis horas.
Et Phœbum & Themidem cerebro confundis in uno,
Cærula non aliter declivia flumina Tethis
Marmoreo condit gremio ripaque capaci,
Arcet aquas, prohibetq; ſuas tranſcendere metas
Sic tibi par ſemper variæ licet undique curæ,
Et labor inſomnes invitat ducere noctes.
O Regni præluſtre iubar, ſublimius aſtris
Sordida quid noſtræ memoras ludibria Muſæ
Quo fato tetigere manus, vel numine, certe
Vel quia nil oculos Phœbi fugit, & tibi Phœbus
Plectra lyramque ſacrat cur non & cætera ſive
Ut tua te magnis æquet clementia Divis,
Quicquid erat non ficta loquor tua numina ſenſi
Noſtraque divino ſtrinxiſti pectora motu.
Ac veluti ad ſonitum armorum crepitante procella
Fulminea, adverſoſq; acres primoſq; tumultus,
Militis indomitus ſtupor ingruit oſſibus illi,
Arma cadunt, vexilla ducum volitantia tandem
Conſpicit, & veræ virtutis præmia penſat,
Et famæ melioris iter dein fortis in hoſtem,
Exit, & excuſſo Martem terrore laceſſit.

Haud ſecus Aoniæ ſublimis ſignifer aulæ,
Te ſpectans patrioſq; Duces & ſidera Gentis,
Ferguſiæ, molliq; Legens veſtigia paſſu,
Phæbeos conſcendo Lares, ſacroſque receſſus
Ingredior, reſideſque in Carmina provoco Muſas.
Quid memorem eximium divini pignus amoris,
Et veteres gemino ſpirantes munere Muſas,
Scilicet Aonio miſſum mihi munus ab Aula,
Quod mea Muſa colit biſidi ceu culmina montis,
Ille ubi Mæonios haurit ſtupifacta furores,
Et Senecæ flores, & amæni Lumina flacci;
Et Peleuſiacæ nimbos, & fulmina Muſæ.
Diamaronæis quicquid ſolertia Chartis,
Ingeniumq; potens, venaque undante Thalia
Imputat Arctois cumularunt Numina Muſis.
Te Claron & Tenedon Pataræaq; Templa, Deaſque,
Fluminaq; & montes ipſumque hoc munere Phæbum
Induleiſſe reor, me iudice præmia vincunt
Fontem Hermi, tactuſq; Midæ, pluviaſq; Tonantis
Eja age rumpe moras magni pete Limina *Scoti*,
Ante ſacras te ſiſte fores pudibunda Thalia,
Det faciles tibi terra vias ſua flumina Caurus
Frænet & undantes ſternat Bodotria fluctus,
Hinc celebres conſcende Lares qua tollit Edinum
Turrigerum caput, & celſis ſeſe inſerit aſtris,
Ille ubi magna ſui peragit mandata Monarchæ.

Doctave

Doctave jucundos dat Bibliotheca receſſus.
Mitte metus omnes,non durum in pectore ferrum
Non adamanta gerit, dulcis natat ardor in ore,
Nudaque ſimplicitas operoſi neſcia fuci
Eſt comes una viri reſidetque in pectoris aula
Unica mortales æquans Clementia Divis.
Nec timidè mea verba refer, dulciſſime rerum
Progenies auguſta Deûm pro munere tanto,
Et(tua quod ſuperat gratiſſima munera necnon,
Quicquid in auriferis dives Tagus alluit undis
Vota preceſq; damus) dulci pro pectore, noſtram
Sit rudis illa licet non aſpernare Camænam.
Crede mihi nec vana fides favor ille rigentes
Mellificet ſilices Marpeſia marmora franget,
Me tibi Scote rapis ſeu vis magnetica ferrum
O deſiderii lux & pars maxima noſtri:
Spes mea,amorq; ſoli, cenſus decus,unica vota.
Atque animæ fax una meæ vitæque medulla
Det Deus ore frui ſanctam det cernere vati
Canitiem, frontiſque decus det & æmula Phœbo
Lumina,& ætherii ſpirantia lumina vultus.
Iamque vale longum rerum dulciſſime longum
Sancte vale & noſtræ capias monumenta Camenæ
Te neque Forbeſii pigeat meminiſſe Poetæ
Sed ſubeat pia cura tui,cui nectar in ore

Nomen

Nomen in aure melos *Scoti* dum ſpiritus artus
Hos reget, haud ſolo perſolvam carmine grates
Sed precibus feſtis cumulans altaria votis.
Denique, dum morior mecum tamen iſta voluntas,
Ibit in Elyſios, nunquam moritura penates.

Amplitudine tuæ addictiſſimus,

W. F.

HACATOMOMPHE
CAROLO REGI,
Vbi ſub Caledoniæ perſona, Atheiſmi incrementum, Chriſtianiſmi deliquium, Eccleſia *Scoticana* deflet.

ÆGra diu, quæ ſana fui, vix tabida morbo
Membra Caledoniæ relevans moribunda, parenti
(Hos Patriæ luctus & triſtia funera ſpectans)
Cygnæum tibi fundo melos, Rex maxime, Pridem
Nympha ſalutifero fueram gratiſſima ſponſo.
Flammeus ille meus puro ſol ibat amictu,
Tectaque Mygdonio fundavit marmore, & ore
Romphæam ancipitem prætendens, Sidera dextra
Diſpoſuit rutilis ſpecularia pulchra pyropis.
Proh cœlum! & ſuperi flammantia ſidera mundi.
Proh pieas! meminiſſe piget, ſordeſco prophanis
Fraude ſubacta procis: Papalis purpura longam
Verrit humum, fluidoſque ſinus mihi ventilat aura:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ,

Et tetragonus apex tereti de vertice ſurgit :
Syrmata longa latus, mea brachia candida velant
Carbaſa, & infauſto teritur crux pendula collo,
Purpureæ pigmenta lupæ : Mihi philtra propinat
Itala, mitratus Romæ & meretricius ordo,
Hauſit & è nigro quacunque Arminius orco.
Fœlix, hev nimium fœlix, ſi Scotica tantum
Nunquam Pontifices violaſſent ſacra. Malorum
Prima mihi lux illa fuit, ſimul omnis ab illa
Fluxit honos, primam tulit hinc meus orbis eclipſin.
Nec tamen aulâ nefas manifeſtum eſt Roma, tyrannis
Tempore ſuccrevit, clam bellua prodiit atrox.
Conſcendens gradibus templi ſublime theatrum.
Hinc demum ſors veria fuit, pro lege libido,
Pro pietate nefas, hinc vis violenta, voluntas
Regis, & antiquâ pro religione furentis
Vana ſuperſtitio Romæ. Sic ſemine parvo
Crevit, & occulto paulatim adolevit ab ævo
Præſulis imperium, & dominandi inſana libido.
Nunc ſine presbyteris ſolus regit omnia, ſanctâ
Nunc pro lege Dei ſeſe civilibus undis
Ingerit, & celſas regni moderatur habenas,
Et cum Cæſareâ Jovæ eſt confuſa poteſtas :
Cum grege poſt habito, nunc Præſulis inſula, Chriſti
Jactabunda volans ſumma ad faſtigia rerum,
Et jura, & leges Divûmque hominúmque gubernat ;
Et procerum inſultans claris cervicibus, arcet
Vulgus, & aurato veſtitos murice Patres,

Servili

Servili ſubjecta jugo Reſpublica mœret,
Et ſua tot ſquallens maculis Eccleſia plangit
Brachia, & inſanis bacchatur rauca querelis.
Nobilitas contempta jacet, vix ſanguinis alti
Ullus honos, ſordet virtus, adulatio regnat,
Tollit & inſignes jactatrix gloria vappas.
Omnia confundit mihi Pontificatus, honores,
Jura, forum trabeas, delubra, altaria, ſacra,
Cœlum erebo, terráſque polo, lucemque tenebris
Miſcet, ut Auſonios condat vis ardua ritus.
Tu quoque tela paras, & fulmina torva minaris,
Carole, Belgiacus famulas cui porrigit undas
Oceanus, quem Banna colit, quem vitreus Iſis,
Et ſolus tantis fœlix Bodotria cunis.
Quid bellum crudele moves? maternaque tentas
Viſcera, & oſſa patrum patrio ſcelerare cruore?
Materies feralis ero? ſævi area belli,
Vitam unde & primas hauſiſti luminis auras,
Virgineumque tuo capiti diadema ſacratum eſt?
Parce tuis ſaltem cunis, ſim, Carole, nomen
Imperio fatale tuo, miſerere parentis,
Deque triumphata ne quæras matre triumphum.
Irarum decerne modum. Naſcetur in ulnis
Scotia cui propriam debebit fracta ruinam?
Hâc ego quam genui peperique innoxia jamjam
Adducar captiva manu? jam vincula ſtringent
Brachiaque & charos qui te geſſere lacertos?
Ubera nunc odium nunc improbus hauriet enſis

Grata tibi puero? prorioſque in ſæva penates.
In cunas rabiesque ruet Pia numina teſtor
Atque Themin: Rex magne tuam, ſi fædera de-
Aut tua tentavi ſacrata reſolvere jura? (mens
Sola tyrannis erit juſti mihi cauſa furoris:
Sum tua quæ diris toties concuſſa procellis
Quicquid ero infelix erro, miſerabilis exul,
Quippe tuum mihi ſemper erit venerabile nomen,
Sceptráq; Sacra mihi, charis dabit oſcula plantis
Prona Caledonie: ſaltem mihi legibus uti
Et liceat ſervire Deo (mea culpa) paterna
Libertas mihi chara mea virtute colenda eſt.
Relligio cultusq; Dei collapsáque ſacra
Sunt reparanda mihi, Vovi, meus error in illo eſt,
Carole da veniam, Regum Rex, maximus ille eſt,
Quem modo mente colo, qui fædera fulmine ſancit
Celſaque ſtelligeri qui torquet ſidera cæli,
Ille necis vitæque hominum eſt atque arbiter æqui,
Suſtinet ille duas æquato examine lances,
Fásque nefásque pari trutina caſtigat, et ille.
Fœcundum in fraudes hominum genus odit ubi u-
Vis colitur Juríſque locum, ſibi vendicat enſis. (na

Eſt

Eſt mihi jam manifeſta fides Romana; pateſcunt.
Inſidiæ; Chriſtumque ſequar ſuper æthera Regem.
Flectentem in terris regni cœleſtis habenas,
Aſtráque victrici dextra ſeptena gerentem,
Ejiciamque lupam, pellam, catuloſque voraces.
Sin moriar, ſolum per te periiſſe moleſtum eſt.
Congeminat tua culpa meum longumque dolorem
Dum vice mutata quæ ſim, fuerímque revolvens,
Pacifici æternum plangam ſacra oſſa parentis.

Forbeſius Rocaninſis.

Aſtræx.

Scorpiacum ſive Antidotum, contra Intoxicatos Scorpiorum Romanenſium Ictus.

AVrea pax ſuperas cœlo dilapſa per auras
Ferrea Parraſii compeſcit limina jani
Et faſces aſtrea novos læta induit, auro
Picta rotas, puro gemmarum Lumine currus
Ardet, Hydaſpœis radiaſcit temo Lapillis.
Expanditque ſuas fœlix concordia pennas
Arctius Æterno complectens omnia nexu.
Inque Calidonio ſedem poſuere perennem,
Numina trina ſolo, non *Scotos* Martius horror,
Clangenteſve tubæ, non tela minacia terrent.
Quæque inhiat noſtris meretrix Babylonica damnis
Non patrium intentat jugulis civilibus enſem
Conſcia belligero quæ ſit fiducia *Scoto*.
Eumenidum periere faces, furialis Ænio
Occulit æternis caput exitiale tenebris,
Ditat & Arctoas ſuperum clementia terras,

Oſten-

Oſtenditque novum faſtis melioribus ævum.
Roma dolet, flet mæſtus Iber, miſeroſq; clientes
Incuſat lupa ſæva, hominesque polumq; deoſq;
Damnat, & Auſtriacæ metuens furibunda ruinæs,
Ipſum Acheronta movet nigrumq; infeſtat avernum
O rerum ſortiſque vices, Tameſina fremebant,
Littora, parraſia bellum civile ſub urſa,
Externaſq; acies clademq; neceſq; ciebat
Anxia, ſed lætos ſperabat Roma triumphos.
Callida nativum ſtimulare in prælia regem.
In Patriam populumq; ſuum proprioſq; penates,
Dum neq; vi potuit nec aperto perdere marte.
Scotorum invictam per plurima ſecula Gentem
Conſilium crudele movet, tectimq; parabat
Tingere perfides civili ſanguine dextras.
Scilicet externi gens hæc ignara triumphi
Auſoneos ridet faſces, & bætica ſceptra,
Grampiacis ſolum tellus animoſa tiaris.
Roma excors nondum Scotis cum Rege Britanno,
Sed tecum certamen erat, ſubmittit habenas
Scotus ovans rex magne tibi, te rege ſuperbit
Grampius una tuis adglutinat oſcula ſceptris.
Indomitumque regis populum, ſoloque tonante
Dum minor es uni faſces ſubmittis Olympo.
Inſtruis Imperium ſola ratione; nec armis,
Sed patriis patrium componis Legibus orbem.
Celſaque tu populo quamvis oracula pandis
Conſiliumq; animo Libras, tamen æqua monenti

Auſcultas, fidique probas conſulta ſenatus.
Sic Cœlo Terræqueplaces, perjuraque rides
Auſonii conſulta Jovis, ſua ſigna minantis
Inferre in patrios tecum Dux magne penates.
Sic tua te patris majeſtas commodat orbi.
Sic ſurgit tibi Laudis apex, ſic gratia gentis
Grampiacæ creſcit, Plauſuque accedit Olympus
Cæleſtique ſuum ſic cum ſplendore nitorem
Confundit, diadema tibi, radianſque coruſca
Luce Caledonium nebulis abſolvis Olympum.
Carole Scotorum Lux & ſpesuna tuorum,
Cæſarias contunde Aquilas, Betimque ſuperbum
Frange, Palatinæ repara Capitolia terræ:
Agnoſcatque tuos regales purpura Cives,
Grampiginaſque Duces, ſemper qui milite fido
Et nunquam timidis cingent tentoria caſtris.
Subdola Romanæ meretrix quæ preſedit aulæ,
Auro picta ſinus, auro radiata capillos,
Purpureamque trahens ſanctorum ſanguine Lænam.
Diſcat hyperboreos non circumſcribere Scotos
Et ſua ſtuproſæ vendat ludibria Romæ
Improba quid noſtros ſperaſti ludere ſenſus,
Eja age pinge genas Mæchis & ſpurca Cynædis
Pinge labella tuis, fœdos faſtidit amores
Scotia caſta Lupæ, chriſtique amplexibus hæret.
Quin etiam poteras nobis ſpecioſa videri,

Et

Et placuíſſe nimis primum nam ſimplice cultu
Progrediris panſis demum Jactantior alis,
Regia, regali ſtipataque muricæ prodis.
Et nunc blanditiis miſeris cultoribus addis,
Claraque nunc aliis offers patrimonia, ſi quis
Reſpuat, hinc pœnas & fulmina torva minaris.
Exitiumque cies populo, Patriæque parenti.
Scotia ni famulas tibi porrigat effera dextras,
Jam tibi regnandi gliſcit veſana cupido.
Verte ſolum meretrix alio titane calentes:
Quære Lares, alias trans pontum querito terras,
Aut Libiæ rapidas, Auſtriq; tepentis arenas,
Barbaricoſq; Getas, & inhoſpita Littora ponti,
Cultoreſq; vehas tecum, ſpurioſque Britannos;
Principis, & patriæ communis, & ætheris hoſtes.
Scotia pange Deo Laudes ſine ſanguine victrix,
Te pietas totofælicem prædicat orbe
Solis utramque domum replet tua gloria, Dacus
Gallus, Iber, Battavus, Flander, Germanus, & Anglus,
Degere Parraſii malunt ſub ſidere Cœli,
Inque Câledoniis vitam traxiſſe pruinis,
Aurea ubi urna tenet cæleſtes ſemina Mannæ,
Thuribulumque auro rutilans & fœderis arca,
Scintillatq; adamas, radianſq; Topaſius ardet,
Et Thummim, atq; Urim, variæque monilia Gazæ,
Nudaque ſimplicitas, & ſancti conſcius horror
Numinis, & puro ſimplex reverentia cultu.
Sic eat, & ſtabili decurrant aurea Lege,

Secula ſic nullam gens hæc patiatur eclipſin,
Deſpiciatque ducem Libiæ Romæq; furentis,
Ridiat inſidias, verſutaque pectora damnet
Longa perennabit noſtræ ſic gloria gentis:
Et decus Arctoum, & veteris reverentia ſceptri.
Sæclaque pacificum celebrabunt poſtera Carlum,
Hoſtileſque ultrix ſtringat Ramnuſia fauces.

Philomuſus Rocanienſis.

SSota Calidonias inter celeberrima Nimphas,
O decus! & Patriæ gloria magna tnæ!
Cui Phœbus ſacra redemivit Daphnide frontem;
Cui dedit & propriæ, plectra movere Lyræ:
Quam Charites Paphiis enutrivere ſub antris;
Quamque fovet gremio diva Minerva ſuo.
Accipe Scorpiacum tibi quod Forbeſius offert,
Unica cui Phœbus Pierideſque novem es.
Sol velut exoriens Languentes recreat herbas;
Carmina Luce tua noſtra animare potes.
Tu regis ingenium Nymphe pulcherima, Laudis
Sat mihi ſi vates dicar Eliſa tuus.

Mr. Gulielmus Forbes.

Apophoreta Papæ, Hiſpanorum exequiæ Sanctorum Jubilatio, Batavorum Triumphus, *ſive Interitus Claſſis Ibera, Anno Domini*, 1639.

DI maris, & vaſti violata ſacraria Ponti;
Quaſſaq; convulſis Neptunia regna cavernis;
Tuq; pater Nereu, pelagoq; natantia monſtra,
Pandite ſulphureis diſploſa tonitrua nimbis,
Et late humentes navali indagine campos
Oceaniqúe ſinus clauſos, radianſque profundum
Vulcano populante rates, & claſſis Iberæ
Excidium, & claros Baravo victore triumphos.
Vos equidem multo concretas ſanguine, vos &
Purpureas hauſiſtis aquas. gens ſquammea linquens
Nota elimenta metu, vitreique cubilia regni
Languidulam in ſicca vitam exhantlavit arena,
Proteus ut tepidæ liquefacta ſedilia cellæ
Senſerat, & ſociæ virides ardere capillos
Doridos, hinc notas ſeſe convertit ad artes,
Protinus ignis ero, dixit: dum ſplendet in unda
Mulciber, & tremula reſpondet imagine pontus.
Tu qui cæruleo circumvolventia curru

Aſtra, diemqúe vehis, verſans per inane rotatu
Agminis Æolii celeres, glebaſque maritans
Irroras liquidis mundi topiaria lymphis.
Exuito hanc animam curis mortalibus, hauſtus
Indulge æthereos, ſancto & ſpiramine Muſam
Imbue. *Septi-jugæ decicornis Bellua Romæ*
Sublimi reſidens ſolio, cui terra refulgens
Inſula, tergemina redimibat tempora mitra;
Æternis odiis furiiſque immanibus acta
Concilium deforme vocat, coeuntque profani
Gentis abaddoniæ proceres, ſtygiaſque paludes
Ore ciet, fremituque gravi Phlegetontis alumnos;
Vipereaſque procul ſtygia de valle ſorores
Convocat, & charam ſic voce affatur Erynnin
Fida miniſtra mihi quæ pectoris intima nôris,
Et primos animi motus ſenſuſque profundos;
Te ſine nil noſtræ proſunt mea filia vires;
Per te ego ſubverto magnis cúm mœnibus Urbes,
Per te ego finitimas acuo in fera prælia gentes;
Æqua ſolo per te fumantia culmina pono,
Mutuaqúe armatos: in vulnera provoco fratres,
Tu populum in proceres armas, tu ſolvere Regum
Enſe gulas, nigroque doces vitiare veneno.
Tanta tibi eſt virtus, & cum virtute poteſtas.
Dives in Arctoo procul hinc jacet inſula Ponto
Undique clauſa mari, cui Magna Britannia nomen:

Orbis

Orbis ab orbe, metu Neptuni libera muris,
Hoſtibus æquoreæ quæ Tethyos objicit undas:
Divitiis animiſq; potens, metuenda Monarchis
Robore finitimis, duroque aſperrima bello:
Quæ gentes fert una duas, diſcordibus olim
Acta animis, ſed nunc ſocio cum Saxone Scotus
Imperio coit, & gentes ſolidavit in unam
Gratia, quæ Thameſin Forthæ vincivit amore,
Propitioque polum ſpargit fulgore Britannum.
Et roſa belligeri foliis bicoloribus Angli
Fulva Caledonii diſtinguit colla Leonis.
Vis ut nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro
Cœlicolæ valeant, populis concordia tanta eſt.
Tántus amor, tantum communem robur in hoſtem.
Hei mihi! quid memorem? nrulto cum remige claſſem
Auſpiciis Hiſpane tuis ſpes optima Regni
Scilicet inſtructam: Decumano pondere Pontus
Dicitur, & vitreis Thetis ingemuiſſe ſub undis,
Horruit aſpectu Tameſis, tremuitque Britannum
Littus; at irato tempeſtas horrida Cœlo
Ingruit, & Boreas tonuit nigrante procella,
Conſenſere ignes, nimbique, & fluctus, & ira
Ætheris, & totum ruit implacabile Cœlum,
Fulminaque infeſti Jovis intonuere; furore
Gorgonio Pallaſque minax, atq; Ægide ſæva
Horrida, turbato confundit in æquore claſſem.

Nec

Nec piger ignis erat, torſit Vulcanus anhelos
Flammarum fervore globos; (horreſco referre)
Correpta mox in cineres abiere carinæ.
Hanc quoque ſulphureo tentavi pulvere gentem
Perdere, & inviſum diro cum Rege Senatum.
Ardenti miſcere rogo: ſubitoq; tumultu,
Ieſuitici i pulveris ſulphurei conatus.
Et clandeſtinis procerum cùm príncipe flammis
Turbine fumantes piceo ſeu fulminis ictu
Spargere candentes vacuum per inane favillas:
Seu ſolet æthereo lampas decurrere ſulco.
Sed rapuere feri piget heu, conamina venti:
1606. Et tecti patuere doli, fruſtra omnia, quamvis
Mille per ambages aggreſſa Britanica noſtro
Subdere colla jugo: populúmque domare rebellem.
Nec quid inexpertum terráve maríve reliqui,
Nec vi nec ratibus, animíſve, auróve peperci.
Hæc ait: & gemitu ſermonem abrumpit inundans
Gliſcit & ira, ſimul furibundi cærula monſtri
Pectora bile gravi tumuerunt: livida tabo
Triſte minabantur quid lumina, qualis in antro
Tartareo excutiens deformia colla colubris,
Brachiaque anguinea jactans villoſa caterva;
Qvi tribus infernum cuſtodit faucibus antrum;
Quamprimum Herculeæ collo ſonuere catenæ,
Horrendum latrans, pugnando vincula tentat
Rumpere: captiváq; fremens cervice: trifauci

Regna

Regna Erebi lingua ciet ; hinc ex anguibus umbris
Insonuere nigri tenebrosa palatia Ditis :
Haud aliter magnæ monstrum exitiabile Romæ
Dum voci laxavit iter furibunda tumultu
Concilium quatit omne gravi: dein talia fatur
Quo feror ? aut ubi sum ? dira cum gente tot annos
Bella geram frustra ? quisquam post talia credat,
Quod Deus ipse potest me posse ? quod & æqua potestas?
Cúmqne Deo Christoq; mihi commune tribunal ?
Qui plenos animarum in tristia Tartara currus
Trudere, & é regno totidem nigrantis Averni
Tollere, & optato nutu transcribere cœlo ?
Quin ego tela parem, permixtáque fulmina nimbis,
Improba inexpletis ut luceat insula flammís ;
Cur pelagi spumantis aquis non obruo: ut unda
Tecta sub æquorea jaceat sine nomine tellus
Mille modis valeam sceleratam perdere gentem
Attamen ante prius visum est tentare rebelles
Tu modo Erynni quantum potes annue cæptis
Nulla meis sine te contingit gloria rebus.
Tu fere sanguinei tristissima semina belli ;
Saxonis in jugulum Scotus ruat ; illius anglus
Solvat & ense gulam, fac Fortha cruore rubescat
Saxonis,& Tamesis Scoti ; fac viribus usa
Utraenque propriis civilibus occidat armis.
Quos ego : sed primos præstat componere motus.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore mystæ

Grampigenæ, noſtri tot Propugnacula Regni,
Quorum nequitia quis ſit prior ambigo, diris
Artibus inferni jures tranſcendere Regem:
Luciferum faſtu, Pactoli ſtagna rubentis
Aurea; non rutilis Hermus ſatiaret arenis,
Nulla part tellus nec tam crudelia monſtra
Suſpicor Orcus habet, perverſáq; viribus illi
Vota ſecundabant ſceleres ad juſſa miniſtri
Noſtra, per infeſtos hoſtes, per tela per ignes.
Te votis precibúſq; vocant, nec gratior unquam
Ullius adventus fuit, O gratiſſima rerùm:
Amplexúſq; dabunt avidos atque oſcula jungent.
Tu genius, numen tu tutelare, Deúſq;,
Tu quoque nitrali nata ordine unica mens es.
Interea nigro tu pocula plena veneno,
Philtraq; blanda feres, hæc auxiliaria dona
Accipe, vipereo dextrámque armata flagello
Et facibus ſtimulíſq; atris nocturna Cytæis:
Sintque canes Hecatis comites ſpirantibus Hydris
Sparge vias delubra, domos, altaria, templa:
Sunt vires tibi, ſunt fæcundáq; pectora fraudum,
Mille nocendi artes, promtíq; ad juſta miniſtri,
Ocyus expedient Acherontica ſpicula, ſævas
Irarúmq; facies ingentibus excita monſtris.
In furias, igneſque ruat dira inſula tota,
Perſonat aſſenſu procerum, precibuſque faventum
Regia, voce probant alii, ſtimuloſque frementi

Adjiciunt

Adjiciunt Furiæ,junctiſque Draconibus, addit
Spumea fræna ferox monſtrum,& per mane volatus
Carpit,& ingenti deſignat nubila gyro.
Innumeræ peſtes Erebi glomerantur : Egeſtas,
Livor Edax,& dira fames,diſcordia, luctus,
Luxus,& excuſſo laſciva licentia fræno :
Triſtis avaritiæ ſpecies, audacia, morbus,
Et timor,in ſomnes longoque examine curæ,
Plauſtra volant circum,vocat agmina ſæva ſororum
Ipſa prior, fœdis crinem redimita colubris,
Ardua peſtifero ſulcavit nubila tractu,
Igne Jovis rapido,lapſiſvé citatior aſtris ;
Qualiter ignivomo dum labitur ore Cometes,
Aëra per liquidum,qui ſævos urbibus hoſtes
Vel miſeram diro denunciat omine peſtem,
Corda per attonitas ſtravit mortalia gentes
Horror,& in tanta pavida formidine luctus
Impulſæ mentes,excuſſaque gaudia vulgi.
Jamquè Lycaonias,ſaltu pervenit ad Arctos :
Magna minorq; Feræ, voluerunt æquore mergi :
Atqúe Ariadneæ, pulla ſub nube coronæ
Delituere faces : ſenſit Sol magnus Eclypſin.
Jam circumfuſos Pelago ſpumante Britannos,
Orcadas inſparſas Ponto, Thulemque remotam
Stringit : & extremas pernicibus Æbudas alis.
Tartareique vomit ſquallentia monſtra veneni ;

Oris Cerberei ſpumas, & virus Echidæ;
Miſcet & occulto Fortham, Tameſimque veneno.
Scinditur in varias diviſa Britannia partes:
Jamqúe vetus Scotis limes diſterminat Anglos:
Undique fulminei ſervant ubi caſtra Manipli.
Interea ingentes volvit ſub pectore curas
Sola Calidoniæ, cur diſtrahor effera, dixit?
Quæ ſecura fui cur in fera prælia trudor?
Scilicet ad ſedes animas ductura perennes,
Relligio ſenſim languet ſuffuſa tenebris:
Diráque divini crevit mihi nauſea verbi:
Ingluvies, cum fraude mala, luxúſque dolíque,
Triſtis avaritiæ monſtrum, jugulatio, furtum,
Fæda rapina, Poli celſas conſcendit ad arces.
Atque iterum piget heu, meretrix Romana propinat.
Lurida philtra mihi ſemel eructatata reſorpſi
Dogmata, & hinc jaceo ſortis non certa futuræ:
Hoſti præda truci, peregrinis obvia telis.
Undique bella ruunt, circum crepitantibus armis,
Sub juga jam venio Romano præda Tyranno:
Qui ciet arte ſua ſocialis ſemina belli:
Quinetiam & proprium mea ſtringit in ilia ferrum.
Inque Caledoniam vicinos provocat Anglos:
Tu Deus afflictæ facilis ſuccurrito genti,
Palantemque gregem Chriſti ad præſepia coge,
Hoſtileſq; minas (precor) in ſua viſcera vertas.

Talia

Talia fundebat lachrymans, longoſque ciebat
Mæſta Caledoniæ quæſtus, ſub fluminis alti
Fortha Pater thalamo, Divæ bibit aure querelas:
Et fratrem incuſat Tameſin, longumque per æquor
Carpit iter finditque cavo freto cærula ſulco,
Et procul ignotis audax erravit in undis:
Donec ad humentem Tameſis pervenerat aulam.
Hæc ubi Fortha Pater placido prior edidit ore:
Heu frater Tameſi, quæ te mala pabula terrræ
Æmoniæ quæ te mutavit carmine Circe?
Haud ſecus æquoreæ variant aquilonibus undæ:
Non aliter dubio mutantur flamine Syrtes:
Nonne Deus noſtras conjunxit fœdere dextras?
Fœdere quod neque Mars duro reſcindere ferro,
Collectis non Tethis aquis non ignibus Ætna,
Non licet effuſis, laxetur Erinnys habenis.
Queis furiis male-ſana ruis? quæ culpa? quis error?
Fraternum cur enſe latus, cur milite denſo
Aggrederis juguloque paras dimittere ferrum?
Fare age, quæ noſtris injuria venit ab oris?
Certe ego te contra, non arma nefaria ſumpſi:
Nec feror inſidiis, tacitóve invadere ferro:
Hoc pietas prohibet, ſancitáque fœdera regni,
Hoc regimen commune vetat dum rege ſub uno,
Imperióque pari, ſancta qnoque lege tenemur.
Una Fides nobis, Deus unus, & unica Tellus,

Arvaque ſecrevit toto Neptunus ab orbe :
Contulit & vaſtos in propugnacula fluctus.
Nos decet, externum vultus convertere in hoſtem :
Nos decet, Auſtriacos ferro contundere faſtus :
Pellere & Heſperium qui finibus imminet hoſtem :
Nos Jovis Auſonii, tumidi nos Tybridis iras
Trudere Tartareas, ira indignante, tenebris.
Quique Palatinæ Capitolia regia terræ
Straverat : auſa luat, merito ſocialibus armis,
Captivo moribundus humum Diademate palſans.
Talibus officiis animoſa Britannia ſeſe
Jactet : & Aſtrigerum pulſabit vertice Cœlum.
Prô pudor ! in vetitum ruimus ſcelus, anne ſepultis
Irarum ſtimulis, odiove ardeſcis avito ?
Jampridem nimium madefacta eſt ſanguine noſtro
Inſula, ne veterum male pullulet Hydra malorum
Murmura militiæ ceſſent, ciuilis utrique
Utraq; gens poſitis ſibi conſulat anxiùs armis.
Juſtitiæ, cultuſque Dei, jucundus avitæ
Libertatis amor, me præſidiaria cogunt
Sumere tela manu : nullique nocentia ferro
Arma humeris, noſtris nullus populator ab oris
Ibit & arma ferant tantum noſtra arva coloni,
Sentiat & ſolo tellus de vomere vulnus.
Æqua precor, Cœlum teſtor ; tamen impia contra
Si quis ſigna feret, ſegnem non ſentiet hoſtem,

Ipſe

Ipſe faces, ipſe arma feram, naturaque junget
Ipſa ſuas vires, Boreas pater agmina ab Arcto
Denſa miniſtrabit, ſunt celſi mœnia montes,
His ego ſuſtinui Romani fulminis iras,
Cæſareaſqúe minas, ſævo cum Saxone Cimbros,
Martigenaſqúe Anglos, valida virtute fugavi.
Tu tamen ô Tameſi, qui me privare nequibas
Regno, me charo ſpoliaſti Rege: quid ultra
Expetis? eſt equidem ille meus, tuus ille, nec ulla
Invidia tangor; ſed Regem pronus adoro
Jure meum, qui jure tuus; ſic Rege ſub uno
Vivimus, haud ſub lege una, plus limite nondum
Quam Themis æqua ſuis gentem diſtinxit utramq;
Legibus: ipſe meis regor: inviolataque ſervo
Jura patrum, propriis tu legibus utere, leges
Ipſe meas, virtute mea, virtute meorum,
Virginiumque colam Gentis Diadema, per annos
Indomitæ innumeros: ſurget Leo torvus in hoſtes:
Et mihi ſucceſſus ſin aſpera fata ſecundos
Forte negent; illuſtris ero non ſegnibus auſis:
Et ſua plorabit belli diſpendia victor.
Talia nequicquam vacuas fundebat ad auras.
Portha pater nec certa ſeni reſponſa dabantur
Interea vaſtum bacchatur fama per antrum
Turrigeras properare rates: fluitantia ſummis
Signa volant malis: arx ardua, ſydera, panſis

Hiſpanorum inſignia.

Nigran-

Nigrantéſque Aquilæ pennis patuere: cruentos
Glaucus ait, jam cerno hoſtes: Iber arma britannis
Sæva infert: Lybici jam fraus manifeſta Tyranni
Quam bené Cantabrici nôrunt ſua tempora nautæ
Hûc, hûc ſedulitas, vigil hûc induſtria tendit.
Pontificúmque labor: ſævas Dii perdite peſtes.
Schiſmatis autores civilis, vindice flamma,
Vel cruce, vel pelagus rapidis abſorbeat undis.
Protulit hos fructus intempeſtiva ſimultas,
Hanc peperit mitrata cohors: vos ite carinæ:
Ite truces, cuncti rapiant cava lintea venti,
Totáque in inviſam deſcendant fulmina claſſem,:
Hinc cautes, hinc Scilla rapax fremitúque Carybdis,
Atque omnes natura tuas jam collige vires:
Æolus & totas ventus immittat habenas:
Subverſáſque ferat toto Thetis æquore claſſem:
Vix ea finierat Glaucus dum ſpectat ab alta
Rupe rates pulchrámque abſcondere cærula claſſem,
Sternebâtque viam Nereus criſpantibus undis:
Amplexuſque dabat ratibus, dabat oſcula Roſtris,
Turritáſque ſuas ſpargebat rore carinas.
Mox vexilla procul Batavorum Martia fulgent:
Et minor ore Leo torvus fera colla, jubáſque
Concutiens, ſæva Mars cuſpide ferreus undas
Verberat & tumidos vultus convertit in hoſtes:
Contremuere undæ, totúmque exhorruit æquor.

Vela

Vela cadunt, classem jacta Anchora fundit utrámque,
Dividitur fretum, terræ loca proxima classi
Eligit Antonius : Batavorum gloria vasti
Trompius Oceani vada cærula clausit : & una
Agmina navali vallavit Iberica muro.
Jam vigil adversas servat custodia classes,
Exercétque vices noctésque diésque nec unquam,
Languida jucundo submittit lumina somno :
Concubiásque trahit bellorum fabula noctes.
Jámque dies aderat pugnæ, jam Lucifer orbem
Explicat, & roseos aurora retexerat ortus :
Et tremula Titan radiis vibrbat in unda :
Pellonamque ciet Batavus : Mavortiaque ardens
Signa, locat summis ratium volitantia malis.
Magnifica veluti dum lux Phaetontis in urbe
Purpureas splendore fores extendit, & alta
Atria, & angustas perfundit lumine cellas.
Protinus ignavi fugit omnis inertia somni,
Admonitrixque operum revocat Matuta labores :
Cura agitat sua quemque : pecus stabulisq; relictis
Pabula nocturna carpit rorata pruina :
Et volucrum resonant blandis consentibus auræ :
Artificumque manus fervent : pigmentaque pictor
Miscet : Hyperboreum Faber coquit igne metallum :
Versa? & hoc tereti libratum turbine fusum :
Huic tenues crescunt parvi discriminis umbræ :

Mollibus

Mollibus & fulvum filis immititur aurum:
Huic & Amiclæi ſpumis fuſcantur aheni
Vellera: nunc Tyrio ſaturantur murice lanæ:
Hic quoqùe ſtelligerum radio deſcribit Olympum,
Sydera componens, vitreo fallacia mundo
Tentat & æthereos humanis viribus orbes,
Ille opus agreditur bifido de monte ſororum,
Cingit & æterna viridantia tempora lauro,
Hic acuit ſub cote enſes: flammamq; vomentes
Ille ponit galeas: vitriarius arida miſcens
Nutrimenta, piam vocat in certamina Veſtam.
Haud aliter Batavi puamprimum ſigna cohortes
Mavortis manifeſta dari ſenſere: fovebant
Vota animo, palmæ decus, & victoria læta,
Et belli furialis amor, pugnæque cnpido,
Vindictæqúe furor, Mavortia pectora flammant.
Adverſiſqúe parant hoſti concurrere ſignis:
Accelerantqúe feræ faciem componere pugnæ:
Pars cadit in tonſas, mango pars altera nixu
Candida veliferis ſuſpendit carbaſa malis:
Stant quoqúe remigiis alii, clavumqúe gubernat
Typhis, & impellit remo, veloque carinas.
Ipſe in ſignifera celſus rate *Trompius* aſtans,
Ordine diſponit claſſem: ſeu cornua lunæ
Prima refurgentis, quæ non pleno orbe recrevit.
Tardius interea claſſem componit Iberam

Anto-

Antonius : veluti ſerpens quem ſorte viator
Seminecem lacerúmve gravi de vulnere liquit :
Fruſtra hoſtem fugiens, lentos dat corpore motus ;
At non inſolitos ſeſe tamen explicat orbes :
Ore ferox, oculíſque minax, pars ægra plicantem
impedit, immenſo ſaltu conſurgere in arcus :
Membráqe in intortum ſinuoſa recolligit orbem :
Tali remigio ſe claſſis Ibera movebat
Parte alia rutilans divinis *Trompius* armis,
Ingentes verſans animos virtutis amore
Accendit comites : captiſque audacibus iras
Excitat attollítque animos ac talibus inſit.
O ſocii, juſti vos cauſam expendite belli,
Cogit in arma Dei cultus, qvi ſidera mundi
Torquet & aſtrigeros Cœli qui temperat orbes :
Gens inimica Polo Chriſti inſidiatur ovili :
Sunt Cæli patriæque hoſtes quos cernitis, aura
Militat en nobis, jamdudum militat æther :
Signa Deus Cœlo præbet manifeſta ſereno
Victrices nos ferre manus : Cœli aurea merces
Atria : & hortatrix animoſi gloria Lethi.
Hæc ait & comites belli inflammavit amore.
Nec minus Antonius tumidus exarſit in iras,
Hortatúrque ſuos vos ô Mavortia corda ,
Viribus Hoſtiles, (clamat) ſubvertite puppes :
Sternat & ignavos noſtri præſentia, jam jam

Captiva cervice ferent juga noſtra rebelles :
Semiviríq; cadant horrendi fulmine belli :
Quas pœnas gens ſæva dabit, mox naufraga claſſis
Debita cæruleo præbebit nomina Ponto :
Ipſe ſuus Neptunus aquis ; ſævóq; tridente,
Obruet inviſas ſpumoſa per æquora puppes :
Prima nec hæc ad nos injuriâ venit ab illis
Prô ſeclus ! imperium pridem regale, tiaras,
Et Regis diadema ſui gens impia ſprevit :
Haud equidem obſcurum, quâ piſcatoribus arte,
Inſidiíſq; malis tam celſa potentia crevit :
Gens hamos aſſueta leves, nodoſâque ferre
Retia, jam naſſis, tandem calamíſq; relictis,
Inclita ſceptrigeros calcat Reſpublica Reges.
Prô ſeclî opprobrium ! prô noſtri dedecus ævi !
Signa ferant Aquilas contrà, quos humida lina
Textáque vel lento de vimine naſſa deceret.
Vos ô vos juvenes, ſacratáque pectore bello:
Belligeríq; duces, Mavortis en aſpera dudum
Pugna vocat, quantus pudor eſt non vincere ferrô,
Æternumque prôbrum vinci ; crimenque pavoris
Abſit : poſthabita vos famam extendite vita.
Oceanum jam roſtra ſecant, jamque undique ſevæ
Collúxêre faces, ferveſcunt cærula flammis :
Torquet & ardentes Vulcanus ad aſtra favillas :
Armorumque nitor turbatis errat in undis :

Nubila

Nubila luce micant pura : totumq; profundum
Æri renideſcit ; veluti dum fulgida ponto
Sydera pellucent : Cœliqúe ardentis imago
Ignea vibratur Pelago : tamen omnibus unus
Clarior exultat, ſquammis fulgentibus ardens
Trompius, arcanum radiant ſub fronte ſerenâ
Lumina pura jubar, rutilantes vertice ſtellæ,
Et galeæ criſtatus apex, plumæqúe volantes,
Offuſcant ſplendore diem, ſolemqúe laceſſunt :
Squammea ſub vitreo ludunt examina Ponto :
Percellitqúe oculos fulgor ; ſeu nocte ſub atra
Si quis fortè facem, tranquillâ accendat in undâ,
Agmina denſa ruunt, pinniſqúe natantibus aſtant,
Nec Lethum advertunt, oculis prodentibus hoſti.
Candida mox levibus tumuerunt lintea ventis,
Primaqúe in adverſam contorſit ſpicula claſſem
Æolus : heſperiæ bili fremuêre catervæ,
Atque omen Batavi fauſtum agnovêre triumphi.
Interea claſſes mundi fabricator Olympo
Deſpicit : inſtructaſqúe acies, atq; omnia luſtrat :
Juſtitiamq; vocat, nec quemquam criminis illa
Repperit expertem ; pœnas dent ocyus omnes
Quas meruêre pati, dixit : clementia vultu
Subridens placido, Batavi non fictile Numen,
Saxavè ſurda colunt, nec vana Idola prophanis
Ritibus ; & vitæ gens hæc eſt prodiga donec
Cauſa agitur Chriſti, cujus quoque ſanguine credit ;

Humani generis labem, & peccata lavari.
Et dudum en Chriſti dulcis diſcrimine vitæ
Hoſtibus arma parat, reddit, te ſentiat hoſtem
Cantaber, atque tuis viréſque animóſque miniſtra.
Annuit Omniqotens, nutu tremefecit Olympum
Imáque concuſſit ſolidæ fundamina terræ:
Oceaníque ſinus, reſonis exhorruit undis:
Et tremuère nigris Acherontica regna cavernis.
Sed quid ego tenui tentem deſcribere verſu,
Singuláque expediam Martis momenta furentis:
Et furias Bellona tuas, & fulmina denſa:
Raucáque ſulphureis vibrata tonitrua nimbis:
Torváque multifidas tormenta vomentia flammis:
Et Batavum pugnas, æris ſtridore cientem:
Cantabricáſque rates, piceatáque robora paſſim.
Tranſtra per, & remos, aridis fumantia flammis.
Deficit ingenium vivax, nec talibus auſis
Sufficiunt vires, humili nec carmine noſtra
Muſa valet tantæ cumulos depingere ſtragis.
Hæc tuba *Barlæi* ſeclis memoranda futuris
Martia geſta canat: cui totum Helicona camenæ
Indulſere uni: fontéſque amnéſque, Sororum.
Dum Batavos canit ille ſuos, ſtat mutus Apollo,
Mutáque Pieriæ deponunt plectra camænæ:
Hoc ſaltem concede mihi Divine Poeta,
Dum tu Maronio Patrios canis ore triumphos:

Et

Et fortes animas, & duri prælia Martis,
Noſtra Thalia tibi ſit quæ reſpondeat Echo.
Jámque moræ impatiens, Batavus propellit in hoſtem
Quatuor ex omni delectas claſſe carinas:
Víque viam inveniunt, colliſáque robora roſtris
Dant ſonitum: nedum ferro, jaculíſve moventur:
Sulphureúmq; vomunt, tormenta immania plumbum:
Tela pluunt, faciémq; poli radiantis obumbrat
Ferrea tempeſtas: ponto & ferratilis imber.
Ingruit: & volucres imitantur fulgura glandes:
Conſurgúntq; nigri ſpatioſa volumina fumi:
Et Tartaſſiacam involvunt caligine claſſem:
Jámq; latet Cœlum, noctíſq; incepit imago?
Creſcere Bætiginis: volvit per tranſtra favillas
Mulciber ardentes: vocalis & horrida clangunt.
Signa tubæ: feriúntq; leves ſtridoribus auras:
Diſſonus interea clamor, confudit Ibera
Agmina: & armorum latè gravis ingruit horror:
Inq; repentinos omnis ruit ordo tumultus:
Hinc gemitus, mœſtúſq; vagis ululatus in undis:
Remorúmq; ſonus premitur clamore cadentum:
Purpureáſq; ferox multa Bellona carinas
Sanguine perfundit: violentáq; prælia miſcens
Cæde acri, humectat ſæve proſcenia pugnæ.
Quæ facies belli duri quæ Martis imago?
Quos vultus Bellona tulit dum remige cuncto

Trompius

Trompius irrupit, diffundat penna cruorem,
Non mihi ſuppeditat facundos aſcra liquores,
Permeſſivè ſuos, non triſtia funera Phœbus,
Totve valent trepidæ ſtrages memorare camænæ:
Ipſa melos Bellona ſuum, pangatque tumultus;
Crudelemque canat luſum: ſævoſque ruentis
Agminis incurſus, ignito ut fomite pulvis
Sulphureus flammam concepit, fumea nubes
Conſurgit, tonitruq; gravi penetrale boarda
Excutiens, rimaq; globus delapſus ahena
Plumbeus: argutas pulſat ſtridoribus auras:
Et liquidum volucri diſtringens aëra gyro,
Dat magnam latè ſtragem, multoq; fragore
Emicuit, rupitq; diem, liquiſſe tenebras
Nunc credas Acheronta omnes: noctemq; profundam
Involviſſe rates; jam littora curva, poluſque
Clamorem ingeminant: jures ſua ſpicula torvum
Contorquere Jovem: permixtaq; fulgura flammis:
Unica nunc dira facies triſtiſſima Lethi
Apparet: Pelagi ſubſternitur area telis,
Purpureoq; rates fundunt ſpumantia ſulco
Cærula: tranſtra, fori, proræque, uncique, globique,
Velaque, & antennæ, ſimul armamenta, procellis
Horriſonis volitant: vitrei pinnata profundi
Agmina diffugiunt, ſiccoque in littore lymphas

Sanguine

Sanguine concretas vomitant, ſaniémq; cruentam,
Luctantéſq; animas trepidà formidine ponunt.
Horor ubiq; licet, crudus ſtupor undíque totum
Oceanum involvat: tremerétque interrita téllus:
Non Morinos tamen indomitos, vis nulla metúſve
Fregerat: aut tumidos poterat contundere faſtus.
Remige ſed denſo cuneos & cornua firmant:
Inſtaurántque acies animoſo Martia letho
Pectoráque objiciunt: ſtimulat vindicta furentes,
Trudit & in propriam rabies armata ruinam:
Letiferóſq; globos ignitáque ſpicula torquent;
Fervet atrox bellum, vitæ quoq; prodiga virtus,
Viribus indomitis manifeſta pericula temnit,
Pectoribúſq; ardent venienti occurrere Letho.
Nec tantum ingentem ſenſerunt æquora cladem.
Littora ſed longé diris pulſata procellis
Horribili ſonitu reboant, urbéſq; domíq;,
Tigna, trabéſq; ruunt: furiali turbine & ingens
Incubuit campis ſtrages, Dumeta juvencæ
Roſcida tondentes: vituli, tauríq; pecúſq;
Omne: cadit telum calido de vulnere paſtor
Extrahit: & patrio procumbit arator in arvo:
Curváq; ſanguineo ſparguntur aratra cerebro:
Et procul excuſſum nitrato ſulphure plumbum
Sulcat agros; fumátq; ignito vulnere Tellus:
Interea Mavors deſævit utrúmq; per agmen:

Sangui-

Sanguineáque manu vindex Bellona pependit
In dubio: veluti rapido dum turbine venti
Undíque confligunt: caput exerit Atlantæo
Corus ab Oceano: fervent freta concita flabris:
Volvit & abstrusas rabies Aquilonis arenas:
Et notus adversa Pelagus de parte retundit:
Et celer è roseo vires capit Eurus ab ortu:
Concita sidereos orbes æquare videntur
Æquora: nunc Stygia Pelagus depressius undâ
Sternitur: & Domino ignorat cui pareat æquor;
Haud aliter Batavæ puppes, & Bætica classis
Confligunt: dubiáq; diù concurrere sorte,
Parte ab utráque datum est: tandem propiora triremes
Bella gerunt: duris stant rostra allisaq; rostris:
Et manicis coëunt, uncísq; rapacibus alvi:
Accelerantp; rates utrinque, atque ora ruentum
Sanguinei aspergunt remorum aspergine rores:
Jam propior congressus adest, teretésq; catenæ
Vincláq; dura jugant puppes: classésq; coercent:
Miscentúrq; manus districtísq; ensibus ardent
Crudelémq; ferus Mavors ciet undíq; pugnam:
Non Miles severa Ducis præcepta vocantis
Aure bibit, fremitu premitur sonus æris acuti:
Ense minax ensis pede pes & cuspide cuspis:
Robora roboribus, telis contraria tela,
Hastæ hastis & clypei clypeis, umbonibus umbo.

flam-

Flammis flamma faces facibus, jaculíſq; ſagittæ,
Denſatur globus mediis: in millibus ardet
Trompius, in cumulum ſtrages vallémq; profundam
Enſe ducis creſcunt: ſeu dum cum grandine nimbi
Præciqitant: rapidus ſpumoſo vortice torrens
Dat ſonitum ſtabulóſq; trahit, ſiluáſq; pecúſq;
Hyrtáq; ſaxa rotat, volvítq; arbuſta sub undis;
Haud aliter ſtricto denſantur funera ferro,
Fumantéſque replent glomorata cadavera puppes:
Purpureuſq; fluit ſpumantibus amnis in undis:
Stat cruor in proris: multáq; rubentia cæde
Lubrica tranſtra madent: lethalis ubiq; vagatur
Euſis: & à nullo revocatur pectore ferrum:
Accipit extructos morientum pontus acervos:
Talia per denſas congeſſit funera puppes.
Ductor ovans ſtricto patuit via lubrica ferro:
Umbriferæ ſulcator aquæ furibundus aduncas
Mille parat cymbas Morinis pallentibus: & tot
Laſſantur tetricæ rumpentes ſtamina Parcæ.
Quáq; ruit Batavus, pandit victoria pennas
Romphæam dextrâ vibrans læváque fariſſam,
Purpureámq; trahens cæſorum ſanguine Lænam:
Daphnis honora comas redimibat tempora palmæ:
Textáq; honoratis fulſit toga mille triumphis:
Regia ſceptra terit pedibus, cava buccina dorſo

Pendet, & auratis caput insignita coronis
Martia diffudit frameis insignia longis.
Ipsa triumphatrix comes ibat gloria : calcans
Sub pede jura necis, fatúmq;, Acherontáque, nigræ
Imperiúmque stygis, niveo de marmore templa,
Cælatásq; acies, statuas, Simulacràq; pandens
Sanguinei insanum belli inspiravit amorem.
Utráq; Diva duci libavit basia utríque
Præbuit amplexus avidos, & funera spirans
Quas victor turbas sub tristia tartara misit,
Sanguineo informes cultu : crudelia Manes
Vulnera mirantur, numerúmque, habitúmq;, virorum :
Quales purpureis Simois volvebat in undis
Dum Danaas populabat opes, Priameius Hector.
Salve magna Deûm soboles : salve inclyte *Trompi* :
Fulminei mavortis honos, & vivida imago :
I felix meriti nunquam morientur honores:
Gestáque perpetuo celebrabunt carmine Musæ.
Non arx præsidium præbet, non sydera lucem,
Non Morinis celeres aquilæ trepidantibus alas
Suppeditant : fuga nulla datur stat marmore tecto
Pugna, catenatis ratibus seu ponte pererrant
Cærula : navali campo fera bella moventur,
Latáq; sanguineo substernitur area Marti :
Audaces spes nulla fugæ jam reddit Iberos.

Ipse

Ipſe ſuis remex, remis lapidúmq; procellis
Bella movet: multo tormento infeſta fragore
Ingeminant: claro tinnitúq; enſibus enſis
Stridet: inhorreſcunt gemitus planctúſq; cadentum:
Tela ubi deficiunt ſævus furor arma miniſtrat:
Fragmina cruda volant: ſedem hîc à puppe revulſam
Torquet in adverſos robuſtis viribus hoſtes:
Alter appluſtre rotat, lacerántque in bella carinas.
Ille furens ſpoliat funeſta cadavera telis:
Alter inops ferri, proprio de vulnere ferrum
Extrahit: & fluidum manibus lavat inde cruorem.
Jam morinos dolor acer agit, languentq; lacerti,
Lymphato trepidántq; metu, fugiuntq;, latentq;,
Quiſq; ſuæ ſeſe ratis in penetralibus abdit:
Nec tamen irarum ſtimuli furiæve quieſcunt:
Qualiter abſtruſis habitans in vallibus horret
Cacus: & ardentes volvit caligine flammas:
Qualiter ignivomis eructans Ætna Caminis:
Flammarúmq; globos, procul ardentéſq; favillas
Cum gemitu glomerat: fundóq; exæſtuat imo;
Haud ſecus igniferas tabulata per ardua flammas,
Sulphurcáſque vomunt tædas piceúmque volumen,
Quot Morini, totidem Batavis Caci eſſe videntur,
Quot naves, totidem Ætnæ, flammáſq;, globóſq;
Teláq; ſulphureis Batavi circumlita tædis,

Flammivomáſq; faces torquent: Vulcaniusardor.
Accipit indomitas vivaci ſulphure vires:
Et cladem fovere Noti: volat undiq; victor
Ignis, & omnicremis amplexibus arma viroſq;
Corripit: undantes volítant per tranſtra favillæ:
Jámq; manus ardent: nigreſcunt ora: ruuntq;
In mare præcipites: nant illi gurgite vaſto:
Invenit & liquidis telum errans vulnus in undis:
Sparſa mari pars tela legit ſociíſque miniſtrant:
Exercéntque alii dextris trepidantibus ictus:
Fortunámque ſuam, per dura pericula gaudent
Inſtabili tentare freto: nec naufraga virtus
Ceſſat: nec cupidas maculavit inertia mentes:
Jámque undas ſuperant flammæ: lacerámq; carinam
Ille miſer fugiens, tabulis fumantibus hæret.
Hìc ſuper hoſtiles librat ſua brachia tonſas:
Mille modis quærunt dulci ſuccurrere vitæ:
Mille meant, remeantque viis: mors una timori eſt.
Jam fracti cecidêre animi, Morinique paventes
In fletus, lacrymaſque abeunt: & ſupplice quæſtu
Pacem orant: Divoſque vocant in vota ſecundos:
Æra triumphales edunt ſtridentia cantus;
Sydereique fragor convexa irrupit Olympi:
Vota facit, laudeſque canit, grateſque rependit
Victrix turba Deo: reſonat plangoribus Æther:

Scylla

Scylla ſilet ſuppreſſa ſono : ſtupet atra Charybdis :
Syrenes vario mulcent modulamine fluctus :
Haurit & æquoreis hæc jubila Glaucus in undis.
Belgica captivæ vinclis ad littora longo
Ordine ducuntur naves : flagrantque profundo
Fragmina : odoratis ardeſcit Belgia pyris.
Papicolæque fremunt : quatiturque Hiſpania luctu :
Concuſſæque gemunt, ſeptena cacumina Romæ.

Laus Deo.

Sphalmata Typographica graviora ſic corrige.

In carmine Euchariſtico, Pag. 2. Lin. antepenult. lege æquore, p. 3, l. 2. receſſus. p. 6. l. ult. Amplitudini. in Hecatomomphep. 1. 11. pietas. p. 2 l. 24. infula. p4. l. 10. Caledoniæ p. 5. l. ult. Rocanienſis. In Scorpiaco, p. 2. l. 4. ruinæ. p. 4. l. 2. progrederis. p. 19. Batavus. 22. Cæleſtis. p. 5. l. 3. Rideat. l. antepennlt. pulcherrima. In Apophoreta Papæ Pag. 1. l. 3. Iberæ. 12. Batavo. 15. Elementa. 2l. 6. Decicornis. 7. tetra. p. 4. l. 3 correptæ. p. 5. l. 18. Arte. lin. antepenult. utraq; gens. p. 6. l. 6. parit. 8. celeres 14. mitrali. 22. juſſa. 24. faces. p. 7. l. 8. inſomnes. p. 9. l. 4 per. p. 13. l. 12 vibrabat. 13- Bellonamque. penul. vetſat. p. 14. l. 7. aggreditur. p. 15. l. 1. forte. p. 16. l. 18. pectora. 24. faces p. 17. l. 2, Ære. p. 18. l. 5. omnipotens. p, 18, l, 22. Multo p. 20, l, 19, diri, p, 21, l, 4, Exterrita, p, 22, l, 25, Et, 16, accelerantq; lin, ult deleatur, &

JUDICUM, CAP. 5. VERS. 31.

Sic pereant omnes inimici tui JEHOVA,
at diligentes eum ſint ut quum
procedit SOL in ro-
bore ſuo.

PSAL. 29. Verſ. 11.

*Jehova populo ſuo robur dat, Jehova bene-
dicit populo ſuo cum pace.*

AVTHORE,
GULIELMO FORBESIO,
Scoto Britanno.